HIERONYMUS

Saint-Amand, Wende 8./9. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38295
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

propter multitudinem iniquitatis tuae. & dura peccata tua. & qui scribebat
a principio additum putauerunt. & est sensus ut inimici te plaga percuterem. ut
cederem castigatione crudeli fecit multitudo iniquitatis tuae & dura peccata tua
quae sanari non poterant nisi mordacissimo puluere & ardente cauterio & ferro
acutissimo quo putridas carnes & insanabiles amputarem. & tamen propter
multitudinem iniquitatis tuae & dura peccata tua feci haec tibi. non mea
uoluptate sed medicinae ratione cogente.

Propterea omnes qui comedunt te deuorabuntur. & uniuersi hostes
tui in captiuitatem ducentur. & qui te uastant uastabuntur. Cunctosque
praedatores tuos dabo in praedam. Obducam enim cicatricem tibi. & a uul
neribus tuis sanabo te dicit dominus. Quia eiectam siue dispersam uocauerunt te.
sion haec est quae non habebat requirentem. & sub zorobabel. haec facta cog
noscimus. Quando assyrios hoc est nineuen. uastauere babylonii adque
chaldei. & rursum babylonios & chaldeos medi persequi coeperunt &
babylon destructa est. Tunc sion coepit habere dominum requirentem. & obduc
ta est cicatrix uulneri illius. & sanata est a plagis suis. Quod plenius
adque perfectius conpletur in christo.

Haec dicit dominus. Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum iacob.
& tectis sibi captiuitati eorum miserebor. & aedificabitur ciuitas in excelso suo. &
templum iuxta ordinem suum fundabitur. & egredietur de eis laus. uoxque lau
dantium. & multiplicabo eos & non minuentur. quodque sequitur. & glorificabo
eos & non adtenuabo eos in LXX non habetur. & erunt inquid filii eius sicut
a principio & coetus eius coram me permanebit. & uisitabo aduersus omnes
qui tribulant eum. & erit dux eius ex eo. & princeps de medio eius producetur.
& adplicabo eum & accedet ad me. Quis enim iste est qui adplicet cor suum ut
adpropinquet mihi ait dominus. rursumque quod in hebraico non habetur. & eri
tis mihi in populum. & ego ero uobis in deum. Quorum tempus praecessit in
zorobabel. & ezra. quando reuersus est populus & coepta aedificari ciuitas
in excelso suo. Templi quae obseruatio relegio. & cetera quae ipsius ezrae uo
lumine continentur. Plenius autem adque perfectius in domino saluatore apostolisque
conpletum est. Quando aedificata est ciuitas in excelso suo. de qua scriptum est.